

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Disqvisitio Academica De Sacerdotibus Ac Levitis Novi
Testamenti Sub Antiqvo Foedere Promissis**


Krakewitz, Albrecht Joachim von

[Greifswald], [MDCCXXIX?]

VD18 11722126

Farbkarte

urn:nbn:de:gbv:45:1-15691



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan





PRÆFAMEN.



Extant in Scriptura Veteris Testamenti ejusmodi oracula divina, quæ disertis verbis docent, quod etiam temporibus *Messie* futuri sint *Sacerdotes* atque *Levitæ*. Non permittit Spiritus S. optimus verborum suorum interpres, ut antiquum & dudum abolitum revocemus *Sacerdotium Leviticum*, prouti à Deo illud quondam ordinatum & in Mosaicis scriptis delineatum legimus, quia ex quamplurimis tam novi quam antiqui fœderis locis novimus, illud tantum usque ad *Messie* tempora durare debuisse. Interea, ipsa nihilominus Spiritus Sancti per Scripturam loquentis autoritas & Majestas exigit, ut inquiramus, qua mente quave intentione Divinissimus Spiritus per Prophetas vaticinatus fuerit, de *Sacerdotibus & Levitis* sub œconomia ipsius *Messie* exhiberi futuris. Sic concordabit Scriptura antiqui & novi fœderis; sic innotescet nobis sensus variorum oraculorum Prophetarum; sic unusquisque intelliget, quid sui sit officii, quomodo actiones suas ad nutum & voluntatem Sanctissimi Numinis debeat componere suæque vocationis partibus rite recteque defungi. Ad quod negotium dum nos accingimus, faventissimam Spiritus Gratiae auram nobis devotissime expetimus, probe memores, quod ipsius luce & vita destituti, hoc, quod jam ingredimur spatium, nunquam feliciter emetiri queamus.

A

§. I.

